

DISSERTATIO

DE MORTUORUM RESURRECTIONE.

Resurrectio mortuorum, inquit Augustinus (a), præcipua Fides Christianorum. Hac sane potissimum est inter hujus vitæ casus spei & solatii nostri argumentum (b). Resurrectionem demerit, illico Christianissimum evertit. Hæresum nulla Christi Religioni magis adversatur, quam quæ admittit Resurrectionem (c). Si Christus non resurrexit, Apostolorum prædicatio fallax, Fides inanis, spes nostra est nugatoria (d). Si verò resurrexit, resurrectio fieri potest, imò homines certò resurgent; cum eorum resurrectio Christi promissis innitatur, qui resurrectionem suam veluti nostræ resurrectionis pignus, & argumentum nobis exhibuit. Judæi in hoc dogmate reipsa nobiscum conveniunt; nonnulli etiam Philosophi quandam resurrectionem fatentur: Catholicorum verò hac de re fidem à Philosophorum opinionibus, & ab Hebræorum fide longè aliam agnoscimus.

Mortuorum resurrectionem vulgò Ethnicianile commentum reputabant. Cùm Paulus in Areopago Christum resurrexisse pronunciaisset (e), plerique dicentem irriserunt. Christianam Religionem vix è cunis egressam Hæreticorum resurrectioni adversantium frequentia invasit, cujusmodi fuerit Simonis Magi Discipuli, Cerinthani, Gnostici, Nicolaitæ, Valentiniiani, Marcionitæ, Manichæi, Seleuciani, alique plures. Apostoli ætate (f) ex Corinthiis erant, qui eam oppugnarent. Idem Apostolus ad Timotheum scribens (g), Hymenæi, & Phileti præsertim meminit, qui resurrectionem jam peractam defendebant; quòd naturalem resurrectionem, generationem nempe & hominum propagationem, seu resurrectionem moralem, justificationem videlicet, cum nostrorum corporum reali, quam postremà die futuram operimur, resurrectione confundent.

Veteres quidam Philosophi resurrectionem quamdam admittebant; v. g. Pythagorici metempsychosim, seu de uno in aliud corpus animæ transmigrationem. Aristoteles Thaleti per transitum exprobrat (h), quòd corporum resurrectionem possibilem assererit; quo tamen argumento resurrectionem sibi Thales suaserit, non insinuat. Chaldaei etiam, juxta Theopompum (i), resurrectionem tuebantur. Ex his fortè Democritus, qui eorum doctrinam didicit (k), sententiam illam exhauerat (l);

Similis & de asserendis hominum corporibus, ac reviviscendi promissa Democrito vanitas, qui non revixit ipse.

Plato (m) resurrectionem alicubi docet; Platonici, teste Augustino (n), animas è corporibus, quæ animaverant, in libertatis statum restitutas rursùm in nova corpora perpetuò transmigraie putabant. Alternantibus vicibus indefinenter vivos ex mortuis, & ex vivis mortuos feri. Hos juxta Philosophos à communibus viris Sapiens tantùm differt, quòd post mortem alio sibi congruo anima necitur, donec aliud corpus animandi cupidine capta inde revertitur, & alicujus infantis jam organo satis instructo corpori rursùm adheret. Improborum verò spiritus vix à suo corpore egressi, aliud corpus ei vitæ, quam antea egerant, accommodum sibi comparant, vel belluam, vel corpus humanum malè constitutum.

Porphyrius, qui post ceptam Christianam Religionem floruit, cùm, eodem teste Augustino, Præceptoris sui Platonis sententiis inhæssisset, eisdem hac de re prorsus rejectit; hominumque animas nunquam in belluas transmigraie, Sapientum verò Spiritus à corpore semel sejunctos, nunquam in aliud regredi, sed in Deo æternis voluptatibus absorberi, defendit. Hinc est, quòd de Justorum beatitudine cùm Christianis conveniret, & ab illis etiam valdè recederet, quòd proborum animas suis corporibus nunquam restituendas, & corpora beatis animarum voluptatibus nunquam fruitura, tueretur.

Platonica animarum transmigratione vel apud Judæos, qui resurrectionem credebant, fidem invenit. Josephus, qui Pharisæorum sectam, & Philo, qui Platonis Philosophiam profitebatur, Justorum animas è corpore egressas, in aërem, vel in Sphæram, unde discesserant, regredi, posteaquè inde revertentes in alia corpora transmigraie sentiebant (o). De reali mortuorum resurrectione perspicuè non meminere; eam tamen in Veteris Testamenti Libris (p), & in Macchabæorum secundo (q) satis offendimus; Pharisæos etiam & vulgò Judæos adversus Saducæos resurrectionem defendisse, ex Evangelio, & ex Apostolorum Actibus (r) constat. Verumtamen hoc resurrectionis dogma præcipuum eorum Religionis articulum non constituebat; non enim à sua communiione, neque à conventibus, neque à sum.

m Plato in Politic.
n Augusti. de Civit. l. 13. c. 19. & l. 22. c. 12. n. 2.

o Vide Philon. de Gigantib. 222. 223. & de Confusionibus linguarum p. 270. Joseph. l. 3. de Bello Jud. c. 14. in Lat. in p. 852. & alibi non semel.
p Vide Job 14. 12. & 19. 25. Ezech. 37. 1. & c. Sap. 3. 13. & c. 6. 4.
q 2. Macc. 7. 9. 14. 23.
r Act. 23. 6.

s Joseph. Antiq. l. 18. c. 2. Vid. & Act. Apost. 5. 17. i Vide Menasse Ben-Israel de resurrectione mortuor. l. 1. c. 1.

u Abarbanel, & Mos. Egypt. Apud Menasse Ben-Israel. l. 3. c. 11.

x Papias apud Euseb. l. 3. bistor. c. 39. Justin. Dialog. cum Tryphone. Iren. l. 5. c. 33. Tertull. l. 3. contr. Marcion. & c. y 4. Esdr. 4. 35. & c. 6. 18. & c. 7. Testament. 21. Patriarch. Testam. Jud. n. 25. & Zabul. n. 10. Dan, n. 5. & Levi, n. 18. a Pbot. Cod. 232.

* Matt. 22. 23. 29. 30. b Exod. 3. 15.

summis Reipublicæ dignitatibus Saducæos arcebant; imò ex his aliquem vel Summum Pontificatum gessisse Josephus testatur (s). Modò Religionis studiosiores Saducæos Hæreticorum & Epicuræorum nomine appellant, neque ullà futuri sæculi voluptate fructuosos enunciant (t). Judæorum nonnulli non omnes omnino homines, sed Israelitas tantummodò, præter eorum flagitiosissimos, ad vitam revocandos fore docebant. Alii verò omnes prorsus homines vitæ restituendos enunciabant. Erant, qui semel redivos iterum morti obnoxios negarent; erant etiam, qui (u) eam opinionem improbant, solas animas æterna beatitudine donandas defenderent. Eorum itaque dogma hac de re adhuc in diversa distrahitur.

Et apud Catholicos hujus dogmatis nonnulla olim varietas. Plures enim è Veteris Patribus (x) geminam resurrectionem memorabant; alteram, quæ Messie annis mille terris dominaturo præbit; alteram, quæ ipsum hoc regnum consequuta, Sanctorum in Cælis æternam exordietur felicitatem: quam quidem sententiam ex Judæis repetierant; eam enim in Esdræ quarto (y), in duodecim Patriarcharum Testamento (z), apud Rabbinos plurimos offendimus; eandemque semel Judæus Cerinthus sæculo primo defendebat. Stephanus Gobarrus, cujus excerpta à Photio accepimus, de resurrectionis dogmate methodo problematicà disserit (a), & de corporum corruptione ad resurrectionem, partem utramque defendit. Nos præterea eadem staturà, & ætate, qua decesserimus, resurrecturos, mox negat, docens Infantes ætate jam completà vitæ restituendos. Nos non eodem omnes sed diverso tempore è mortuis revocandos; corpora nostra subtilia, & spiritalia fore; tum è contrà fore compacta, & terrestria, & his, quibus modò constitamus, simillima enunciat. Primos omnium Justos resurrecturos, deinde animalia cætera; post resurrectionem, adhuc in terris edentes, bibentes, & filios procreantes immorturos; ejus demum pacis & voluptatis millenario peracto, omnium omnino resurrectionem futuram testatur: tum è contra Justos resurrecturos cæteris non præituros, & millenariorum Regnum post resurrectionem minime adventurum affirmat. Eadem demum methodo de Paradiso differens, Justos post resurrectionem ibidem commoratos, & non commoratos defendit, eamque deliciarum Aulam neque in terris, neque in cælis, sed medio quodam loco constituit.

Ex Moyfis Libris satis perspicua futuræ omnium resurrectionis argumenta minime deducimus. Cum (*) Christus ea Exodi verba allegasset (b): Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob; statim intulit: Non est Deus mortuorum sed viventium. Quo quidem ratiocinio anima tantum immortalis, & Patriarchæ vel post mortem superstites directè probantur. Inde verò corporum resurrectio facillè deducitur; si enim veterum Justorum animæ

adhuc supersint, neque honorum operum, quibus incubuerant, præmium in hac vitâ retulerint, ad Dei Justitiam pertinet, ut in alterâ idem referant non animæ modò, sed etiam corpora, per quæ Animæ ipsæ virtutes & opera ingenua exercuerant. Sola anima Abraham non est totus Abraham.

R. Schammai (c) ex illo Exodi (d): Apparui Abraham, Isaac, & Jacob... peripique fedus cum eis, ut darem eis terram Chanaan, resurrectionem probat. Cùm enim, subdit, eâ regione, dum viverent, potiti non fuerint, eò revertentur ut potiantur. Eo Rabbini hic ducebatur, quòd cum Hebræis Justorum & Patriarcharum Regnum post resurrectionem in omnes terras futurum arbitraretur. Nos verò & Abraham, & Isaac resurrecturos scimus, non at regioni Chanaan, cujus profectò ipsis necessitas nulla inerit, seu voluntas, dominentur, sed ut viventium regione, quam Chanaan allegoricè præferebat, æternâ voluptate potiantur. Menasse Ben-Israel ex Libris Moyfis futuræ resurrectionis verosimilia tantummodo argumenta ab Hebræis hauriri, ultrò fatetur (e).

Resurrectionem aperte præfert Isaias (f): Interfecti mei resurgent; expurgatiimini, & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, & terra mortuos proficiet. Judæorum Doctores (g) huic rori virtutem creatricem tribuunt, à qua tellus fecunditate donata mortuos omnes ad vitam producet. Quam etiam resurrectionem cum hominum productione conferentes, rorem veluti Patrem, terram matrem, mortuos redivos filios generatos appellant.

Æquè perspicuum testimonium Ezechielis (h), qui in spiritu in campum mortuorum ossibus refertum raptus, Deo vitæ spiritum eisdem impertiente, primum ea commoveri vidit, deinde simul copulari, nervis instrui, pelle vestiri, in vitos denique redivos assurgere. Sammai & Hillel de resurrectione maxime olim disceptarunt, utrum scilicet resurrectio, ordinè per Ezechielem allato, inchoanda sit ab ossibus & nervis, per carnem deinde, & pellem absolvenda; an verò fieri debeat, quemadmodum in utero Matris instituitur fetus, juxta illud Jobi (i): Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me. Hanc Hillel, illam Sammai sententiam tuebantur. Disceptatio utique inanis, resurrectio enim, Apostolo teste, illico & icu oculi fiet.

Rabbini quidam (k) ea ossa, de quibus paulo ante Ezechiel, verè revixisse, eosque homines, postquam reversi sunt Jerusalem, filios procreasse ferebant. Ab his ossibus Rabbini Juda originem suam ostentans, quædam etiam Tepbilim, seu frontalia in eorum precibus adhiberi solita, quæ ab his Ezechielis redivivis ad suum usque Patrem pervenerant, ab eodem Patre suo se accepisse prædicabat. Nostrî verò Interpretes ea omnia Ezechiel in spiritu visa ejusque vaticinium, sicuti & Isaiæ paulò ante allatum, duo prætulisse do-

c R. Schammai Perck Helec. d Exod. 6. 3.

e Menasse Ben-Israel. l. 1. c. 1. ad finem de resurrect. mort. f Isai. 26. 19. g Joseph. Albi, & Viri Synagog. magna.

h Ezechiel. 37. 1. & c.

i Job. 10. 11.

k Rab. Juda, & alii apud Menasse Ben-Israel. l. 2. c. 11. de Resurrect.

docent Hebræorum nempe à captivitate in terram Chanaan regressum, & mortuorum resurrectionem. Regressus ille resurrectionem hanc designabat.

Resurrectionis Evangelistam jure merito Jobum appellamus. In toto ejus Libro phrasés undique occurrunt, quibus quantis ipse votis resurrectionem eam opperiretur, ostenditur. Ipsa ejus valetudinis & fortunæ mutatio futuram satis resurrectionem præsignavit. Scio, inquit (1), quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciantur mihi, & non alius: reposita est hac spes mea in sinu meo. Psalmista etiam perspicue resurrectionem præfert (m): Deus redimet animam meam de manu Inferi, (de sepulchro) cum acceperit me. Et alibi (n): Avertente autem te faciem, turbabuntur & auferes spiritum eorum, & deficiet, & in pulverem suum revertentur. Emitte spiritum tuum, & creabuntur (iterum), & renovabis faciem terræ. Osee futuram resurrectionem non obscure prænuñciat (o): Dominus capit & curabit nos; vivificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos, & viveamus in conspectu ejus.

Luculentius adhuc in libris post Babyloniam captivitatem resurrectio futura exhibetur. Libri Sapientiæ Author visitationis nomine, ut plurimum, resurrectionem indicat (p): Justorum anima in manu Dei sunt... spes illorum immortalitate plena est... Et in tempore visitationis ipsorum resurget, & judicabunt nationes. Ecclesiasticus de Israelis Judicibus agens, Deum orat (q): ut sit memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo (de sepulchro). Quæ dicendi phrasés ad illam Isaiæ refertur (r): Ossa vestra quasi herba germinabunt. Ad illam adhuc Psalmista (s): Ossa vestra germinabunt sicut frenum terræ. Daniel, ea quæ Antiochi Epiphaniis persecutionem consecutura essent, præcens (t), Multi, ait, de his, qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt (resurgent), alii in vitam æternam, & alii in opprobrium ut videant semper.

Macchabæorum Scriptor, æquè ac Evangelistæ, & ipse Apostolus, de resurrectione perspicue. Quidam ex Macchabæis Fratribus Antiochum compellens (u): Tu quidem, inquit, sceleratissime in presenti vitâ nos perdis; sed Rex Mundi defunctos nos pro suis Legibus, in æterna vitæ resurrectione suscitabit. Ex iisdem Fratribus quartus sic etiam Regem est alloquutus (x): Potius est ab hominibus morti datus spem expellere à Deo, iterum ab ipso resuscitandos; tibi enim resurrectio ad vitam non erit. Eorum etiam Mater, ut filiis ad pœnas subeundas animos adderet (y), Mundi creator, ait, qui formavit hominis navitatem, qui que omnium invenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despiciitis propter Leges ejus. Ejus-

dem Libri Author, postquam Judam Macchabæum plurimas ad Templum pecunias misisse meminerat, ut pro interfectis in certamine sacrificia Deo offerrentur (z), Nisi enim, subdit, eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Author quartus Macchabæorum, quem Librum plures Josepho Historico tribuere, quique inscriptus: De rationis imperio, ejus Operibus interferitur, hæc eadem de mortuis ad vitam revocandis reputabat.

Plura hic de resurrectionis veritate argumenta congerere supervacaneum; hac enim differtatione non resurrectionis dogma probandum, sed ejus rationem, tempus, & cæteras, quæ à nobis attingi possunt, circumstantias perpendendas assumptimus. Jesu Christi ætate Judæi omnes, præter Saducæos, resurrectionis fidem adhibebant. Idemmet Christus pluribus Evangelii locis eandem comprobavit. S. Paulus & Apostoli cæteri non modò mortuos resurrecturos docuerunt, sed adversus Saducæos, & suæ ætatis hæreticos, imò & contra Philosophos defenderunt. Ecclesia Catholica inter præcipuos fidei articulos Resurrectionem habuit. Hæc certo scire satis, quæ sanè eâ de re omnem omnino adimunt ambiguitatem.

Eorum Judæorum (a) paulò ante sententiam retulimus, qui non omnes homines, sed Justos & probos Israelitas tantummodo vitæ restituendos assererent. Hæc opinioni favere videtur illud Psalmorum (b): Ideo non resurgent impii in judicio. Quidam etiam ex Macchabæis Fratribus Tyrannum increpans, Nos, inquit, de nobis iterum vitæ restituendos speramus (c): tibi resurrectio ad vitam non erit. Veteres (d) qui resurrectionem geminam, & Justorum in terris regnum ad annos mille protrahendum constituerant, ab eâ felicitate & primæ resurrectionis gloriâ improbos repellent. Hæc verò prior resurrectio, & mille annorum regnum Ecclesiæ minimè probantur; Dominus præterea & probos & improbos ad vitam revocandos (e), & coram se Judice constitutendos enunciat; illos, ut æternâ voluptate donentur, hos autem, ut æternis mancipentur suppliciis. Hæc sanè & Paulus, & cæteri Apostoli edocuerunt.

Superstitiosus honor, quem Chanaanitice regioni Judæi habent, illud egit, ut mortuos ibidem ad vitam revocandos putarent. Inde etiam eorum vota de ultimis vitæ diebus ibidem transigendis, & de sibi in eâ regione sepulchro comparando. Inde eorum opinio de illis, qui alibi sepulture mandati, per occultos terræ meatus in eam regionem à Deo devolverentur, ut ibidem resurrectionis die vitæ restituantur (f). Huc referunt omnes laudes, quibus regionem Chanaan Scriptura commendat, & promissa, quibus illam Deus sibi suisque posteris perpetuo se traditurum spondit. Inde denique, ut mille annos sub jucundo Messia Regno ibidem se traducturos sperarent, antequam secunda ferret resurrectio, & universale Judicium in

2.2. Macch. 12. 44.

a Kimchi in Psal. 1. Maimon. Abarbanel. Joseph. Albo. Vide Buxtorf. Synag. Jud. c. 1. & Muis in Psal. 1. &c. b Psal. 1. 6. c. 2. Macch. 7. 14. d Iren. 1. 5. c. 32. Quid. apud August. 1. 20. c. 7. de Civit. Vide & Hieronym. in Isai. 18. e Joan. 5. 29.

f Vide Talmud. Babyl. Ceruboth. c. 13. & Jerusalem. Chilai. c. 9. &c.

Job 19. 25.

m Psal. 48. 16. n Psal. 103. 29.

o Osee 6. 2.

p Sapient. 3. 1. &c. Vide & cap. 4. & 5.

q Eccli. 46. 14.

r Isai. 66. 14.

s Psal. 71. 16.

t Daniel. 12. 2.

u 2. Macch. 7. 9.

x 2. Macch. 7. 14.

y 1. Macch. 7. 23.

vallè Josaphat, Jerosolymam inter & Oliveti montem à Domino Judice pronuncietur. Verumtamen & ex Judæis erant [g], qui & undique, & eodem tempore mortuos vitæ restituendos nobiscum crederent; qui etiam (h) resurrectionem in Terrâ Sanctâ inchoandam, & successivè in cæteris regionibus quàm maximâ celeritate perficiendam cogitarent.

Certum resurrectionis tempus ignoramus, quod & Angelis ignotum Christus asseruit (i), & Apostolis de eo flagrantibus pandere detredavit. In sæculorum exitu, Dei Filio iterum adveniente, omnes resurrecturos tantummodò scimus. Qui sexies mille annorum spatio totam mundi ætatem determinant, nunc prorsus fermè rejiciuntur. Hanc sibi Deus reservavit (k), tantumque nos eam diem furis more adfuturam, & homines, præter omnem opinionem deprehensuram, præmonuit (l).

S. Paulus hominum plurimos tunc adhuc vivos statim mortuos, eaque celeritate iterum resurrecturos asserit, ut eorum mors non mortis, sed mutationis & transitus nomine appellari debet (m): Fratres, inquit, mysterium dico vobis: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur: seu juxta Græcum, & optimæ Exemplaria, Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur. In momento, in istu oculi, in novissimâ tubâ: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Nos igitur eodem, quo decedemus, momento ad vitam revocabimur, morisque nostræ levissimus potius somnus appellandus, qui nostri mortalis corporis in incorruptibile, & immortalæ mutatione abolvetur.

Plurimi sunt Interpretes, ex Græcis potissimum (n), qui eos, qui tunc temporis vivent, mortem omnino non subituros, sed in eam, de qua Paulus, mutationem tantum transmigraturos putent. Quæ de re, æquè ut Interpretes nostri, etiam Hebræorum Doctores ambigunt (o). Alii enim eos, qui jamjam incipiente resurrectione non obierint, neque obituros, sed statim de vitâ ad incorruptionem, & immortalitatem transituros autant. Negant alii, nullam in futuro sæculo partem neminem obtenturum coherentes, quin primum de vivis migraverit. Decretum de omnium omnino Adæ posterorum obitu sanè adimplebitur. Statutum est hominibus semel mori: post hoc autem, Judicium (p). Aliunde verò S. Paulus ad Corinthios alteram potius sententiam statuerè videtur; ait enim juxta emendatiora Exemplaria: Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur.

Nonnulla etiam difficultas, ut Paulus de resurrectionis momento à se ipso non discrepare ostendatur. Modò enim momento eodem, in istu oculi, ad tubæ clangorem, omnes resurrecturos asserit (q); modò unumquemque in suo ordine, nempe juxta suum meritum, seu ætatem, ad vitam revocandum prænuñciat (r): quare Sancti

g Menasse Ben-Israel de Resurrect. l. 2. c. 2. h Vide Bereschit Rabba Parasch. 27. & Semoth Rabba Parasch. 32. i Marc. 13. 32.

k Act. 1. 7.

l Matth. 24. 43. & 1. Thessal. 5. 2. &c.

m 1. Cor. 15. 51. &c.

n Vide Chrysof. Theodor. Theophylact. in 1. Cor. 15. 51. 52. Tertull. de Resurrect. c. 41. 42. Hieronym. ad Marcellian. o Menasse Ben-Israel. l. 2. c. 13. de Resurrect.

p Hebr. 9. 27.

q 1. Cor. 15. 52. r 1. Cor. 15. 23.

v. g. ante reprobos, veteres Patriarchæ ante novissimos, Catholici ante cæteros resurgent; Primitia Christi; deinde i qui sunt Christi. Utrumque tamen optimè conciliatur, si Apostolum non de temporis, sed ordinis antecessione meminisse animadverterimus (s). Electi & Christi Discipuli primi resurgent, cæteris nempe, & fulgore, & aliis resurrectionis gloriosioribus antecellent. Vel primi resurgent; prius videlicet (t), quàm Christo Judici in nubibus adventuro occurrant; cum reprobi è contrâ, qui eodem momento resurgent, æterno opprobrio perfunsi, Domino, à quo judicandi, & inferorum pœnis mancipandi erunt, obviam ferri videntur.

Judgorum traditio, teste Hieronymo (u), resurrectionem noctu, aut diluculo, qua nempe horâ Jesus Christus egressus est sepulchro, adimplendam ferebat: quam etiam traditionem à Synagogâ accepit Ecclesia, ut alibi ostendimus. In resurrectionis articulo, ait Paulus (x), tuba clangor, & vox Archangeli personabunt, quibus in sepulchris dormientes excitabuntur. Christus etiam in Evangelio (y): Venit hora, inquit, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & prodibunt. Et alibi (z): Et mittet Filius hominis Angelos suos cum tubâ & voce magnâ. Ubicumque de hac ultimâ dicte Scriptura loquitur, etiam de tubæ sonitu meminit; quare Interpretes vel tubam verè sonantem audiendam, vel sonitum tubæ similem asserunt; sonitum, inquam, tubæ Dei, in tuba Dei, nempe consueti majorum & stridentiorum, non ab illo diversum, quo Mons Sinai personavit, cum Dominus Moyse legem traditurus descendit (a); quoque aded Judæi fure perterriti, ut Moyse, non Dominus, sese alloqueretur, ne interirent, oraverint.

Putant alii, hanc tubam ipsam fore Archangeli vocem, seu vocem Dei, vel tonitru, vel imperium, Dei tandem voluntatem; quæ mortuos è pulvere educos vitæ & immortalitate donabit; eodem enim fiat, quo olim è nihilo, tunc è sepulchris excitatos resurget. Tubam pluries sonitum edituram Paulus prænuñciat, cum mortuos in novissimâ tuba resurrecturos affirmat (b), Chrysofostomus & Theophylactus Apostolum ad literam explicant, Divinum Judicem, non nisi post ultimum tubæ sonitum, adventurum autamantes.

Hebræi etiam ad literam explicantes verba Isaiæ (c): Exspersimini, qui habitatis in pulvere, quia vos lucis ros tuus &c. eundem torem vivificæ præditum virtute, quæ vel in imâ terrâ conditos revocabit ad vitam, statuunt. Alii docent (d), mortuos à Deo restituendos per officulum quoddam in dorsi spinâ constitutum, incorruptibile, quod luz appellant. Eò autem ducuntur, quod cecinerit Psalmista (e): Custodit Dominus omnia ossa eorum (Justorum): unum ex his non conteretur. Hoc itaque officulum nunquam vel corrupendum, vel conterendum, illud est, cuius modò meminimus. Adrianus Imperator die

s Vide Tertull. de Resurrect. carn.

t Vide Chrysof. Theophylact. in 1. Thessal. 4. 15. Ita & Grot. Est. Pagn. Vatabl. Eras. Men. Tirin. &c. u Hieronym. in Matth. 25. 6.

x 1. Thessal. 4. 15. 16.

y Joan. 5. 28.

z Matth. 24. 31.

a Exod. 20. 18.

b Vide 1. Cor. 15. 52. & Chrysof. & Theophylact. in 1. Thessal. 4. 16.

c Isai. 26. 19.

d Bereschit Rabba. Parasch. 28. & Zoar.

e Psalm. 33. 21.